

data ab hujus Ordinario facultate, ipso jure a Pontificalibus sit suspensus per annum; sic ordinatus ab executione ordinum, quando Ordinario libuerit. 3. Ordinatos ab alieno, sine suo examine et dimissorialibus, Episcopus suspendere ab exercitio possit, si minus idoneos repererit. 4. Nullus Clericus, Pontificalia, nec Ordines conferant in aliena diœcesi sub pœna, sine expressa diœcesani licentia.

In Sess. VII. 1. Ad regimen Ecclesiæ Cathedralis non admittatur, nisi legitime natus, ætate maturus, probus et doctus. 2. Tenens plures Episcopatus, designato tempore dimittat omnes, uno excepto; alias ipso jure vacent omnes, excepto ultimo. 3. Beneficia inferiora, præsertim curata, conferantur dignis, quique ipsi residere et curam exercere possint. 4. Plurium beneficiorum curatorum aut incompatibilium contra Canones detentor, ipso jure illis sit privatus. 5. Idem si dispensatione gaudeat, eam exhibeat Ordinario, qui de idoneo vicario provideat. 6. Uniones beneficiorum certo ante tempore factæ examinentur ab Ordinario: faciendæ, aut effectum nondum sortitæ, legitimam causam et Ordinarii judicium habeant; alias irritæ declarantur. 7. Beneficia unita visitentur ab Ordinario annis singulis; curentur per vicarios gaudentes tertia parte fructuum. 8. Ecclesiæ reparandæ; et curæ animarum sollicitè exercenda. 9. Promoti ad majores Ecclesias, ultra semestre consecrationem suscipere non differant. 10. Sede vacante, Capitulum, infra annum a vacationis die, licentiam ordinandi aut litteras dimissoriales nulli concedant, nisi aliqui occasione beneficii obtinendi aut obtenti arcato: si contra-veniat, subjaceat interdicto; ordinatus ipso jure sit suspensus ab executione ordinum. 11. In his litteris exprimat causa, ob quam ab Episcopo proprio ordinari nequeat: ordinationem præeat examen. 12. Facultas de non promovendo annum non excedat. 13. Electi, præsentati, aut nominati ad beneficium, sine prævio examine non instituuntur, iis exceptis quos Academia præsentat. 14. Causæ civiles exemptorum extra locum exemptum cognoscantur ab Episcopo, ut S. sedis legato. 15. Curent Ordinarii ut hospitalia fideliter administrantur.

In Sess. XIII. 1. Episcopi resideant; subditos prudenter, h. e. suaviter et fortiter regant: ab eorum sententia interlocutoria ante definitivam, in causis visitationis et correctionis, aut criminalibus, nemo appellet. 2. Appellationis causa in criminalibus ab Episcopi sententia, si cui in partibus delegatur, committatur Metropolitanis; si is habeatur suspectus, aut ultra duas diœtas distet, viciniore Episcopo aut ejus vicario; non inferiori judici. 3. Acta primæ instantiæ intra triginta dies gratis dentur appellanti; alias judici, ad quem absque illis liceat procedere. 4. Episcopo Clericum deponenti aut degradanti, si determinatus a Canonibus numerus Episcoporum adesse nequeat, assistant totidem Abbates ejusdem diœcesis: si nec hi præsto sint, assistant personæ aliæ in dignitate constitutæ. 5. Gratia remissionis pœnæ obreptitiæ vel subreptitiæ impetrata, revocetur a concedente. 6. Episcopus non citetur personaliter, nisi depositionis aut privationis causa. 7. Testes contra Episcopum non admittantur, nisi idonei et graves. 8. Graves Episcoporum causæ a summo Pontifice cognoscantur.

In Sess. XIV. 1. Interdictus ascendere, aut suspensus exercere ordinem, si non præsumat tamen ascenderit vel exercuerit, accepta ab alio quam suo Prælato licentia, puniatur. 2. Episcopus ordinans alienum subditum sine

data ab hujus Ordinario facultate, ipso jure a Pontificalibus sit suspensus per annum; sic ordinatus ab executione ordinum, quando Ordinario libuerit. 3. Ordinatos ab alieno, sine suo examine et dimissorialibus, Episcopus suspendere ab exercitio possit, si minus idoneos repererit. 4. Nullus Clericus, quantumvis exemptus, eximatur a correctione Episcopi residentis, etiam extra visitationem agentis, ut sed. Apost. delegati. 5. Conservatorum potestas ad certos limites restringatur. 6. Clerici in sacris constituti, aut beneficium possidentes, habitum Clericalem gestent; si ab Episcopo moniti non pareant, suspendantur ab ordinibus; si non emendantur, priventur beneficiis et officiis. 7. Homicida voluntarius, licet occultus, careat beneficio et ordine: casualis aut vim vi repellens, cognita et probata causa, dispensetur. 8. Ex privilegio potens punire subditos alienos, criminum etiam atrocium reos tamen non puniat, sine interventu eorum Episcopi aut personæ ab eo deputatæ. 9. Beneficia unius diœcesis nullo prætextu uniantur beneficiis alterius diœcesis. 10. Regularia beneficia conferantur non nisi Regularibus actu, aut qui esse debeant. 11. Regularis translatus ad alium ordinem, in claustro sub obedientia vivat perpetuo, et secularium beneficiorum sit incapax. 12. Posthac jus Patronatus obtineat nemo, nisi ex fundatione aut dotatione, Episcopo reservata præsentati institutione. 13. Præsentatio fiat Ordinario; alias institutio sit nulla.

In Sess. XXI. 1. Episcopi dent gratis ordines, tonsuram, dimissoriales et testimoniales; nec ipsi, nec eorum ministri, pro illis sigillandis vel sponte oblatum accipiant; ubi tamen consuetudo viget, Notarii ultra decimam aurei partem non capiant, et siquidem aliunde careant salario. 2. Etiam idoneus non admittatur ad majores ordines, nisi habeat beneficium sufficiens; qui illud resignare nequeat, nisi aliunde vivere possit: Patrimonium vel pensionem etiam sufficientem possidentes ordinari nequeant, nisi quos Episcopus pro necessitate aut utilitate Ecclesiæ suæ ordinandos judicaverit: quo facto illa alienari sine Episcopi facultate non possint. 3. Ubi nullæ vel tenues sunt distributiones quotidianæ, ad eas tertia pars proventuum et fructuum separetur, dividenda inter præsentis divinis officiis; salva consuetudine, qua non residentibus nihil, aut tertia parte minus datur. 4. Ubi Rector unus non sufficit, addantur Sacerdotes competentes: ubi, ob loci distantiam vel difficultates et incommoda magna, Parochiani ad matricem Ecclesiam accedere nequeunt, invitis etiam rectoribus constituantur novæ Parochiæ, assignata portione ex matrice: hac non sufficiente, adigatur populus ad suppeditanda necessaria. 5. Ob Ecclesiæ paupertatem, et in casibus a jure expressis, Episcopi faciant unionem Ecclesiarum Parochialium, vel beneficiorum curatorum aut non curatorum cum curatis. 6. Imperitis sed honestæ vitæ Rectoribus, vicarii pro tempore dentur, cum assignanda fructuum parte: scandalose viventes et sic perseverantes priventur beneficiis, exemptione et appellatione remota. 7. Ecclesiæ vetustate vel alias collapsæ restaurentur ex fructibus ad eas pertinentibus; qui si non sufficiant, Patroni, aut fructuum ex illis perceptores, in horum defectu Parochiani contribuant: si nullo ex his medio reparari queant, beneficia transferantur ad matrices aut vicinas Ecclesias; diruta in profanos; non tamen sordidos usus conversa, et cruce ibidem erecta. 8. Monasteria commendata, ubi regularis disciplina non viget, et beneficia qualitercumque commendata, singulis annis ab Episcopo visitentur. 9. Quæstorum eleemo-

synarum nomine et usu penitus sublato, indulgentias publicet Ordinarius, et duos de Capitulo ordinet, ad recipiendas absque mercede eleemosynas.

In Sess. XXII. 1. Clerici a negotio seculari abstineant, honeste, graviter, et sancte se gerant, ut aliis sint exemplo. 2. Assumendus ad Cathedralē Ecclesiam, natalibus, ætate, moribus et doctrina sit præditus, Doctor aut Licentiatius in Theologia vel jure Canonico, aut Academiae testimonio instructus, aut saltem per sex menses in sacro jam ordine constitutus. 3. Creentur distributiones quotidianæ, ut supra: portiones absentium pro Episcopi arbitrio cedant fabricæ aut pio loco, exceptis tum actu curam extra civitatem gerentibus, qui pro præsentibus habentur; tum perdentibus aliquid, quod ad tertiam fructuum partem ascendit. 4. In Cathedrali vel Collegiata, etiam Regulari, vocem non habeat, qui non est Subdiaconus: intra annum suscipiantur ordines ad ministerium requisiti: provisio solum fiat habentibus ætatem et alia requisita. 5. Dispensationes extra Romanam curiam committantur Ordinariis eas impetrantium: Rescripta gratiæ non sortiantur effectum, nisi ab illis ut delegatis summarie et extrajudicialiter cognita. 6. Eodem modo procedatur in commutationibus ultimarum voluntatum. 7. In appellationibus, Cap. Romana de appellat. in sexto servetur. 8. Episcopi videant omnes dispositiones pias; habeantque jus visitandi hospitalia, collegia, confraternitates Laicorum, iis exceptis quæ immediatæ Regum protectioni substant. 9. Administratores piorum locorum singulis annis reddant rationem Ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum. 10. Notariorum sufficientiam scrutentur Ordinarii: insufficientes aut delinquentes arceant a causis Ecclesiasticis. 11. Ecclesiasticorum bonorum aut proventuum usurpatores, detentores, aut perceptionis impeditores subiaceant anathemati, absolute Papæ reservata; si eorum quis Ecclesiæ Patronus sit, jure Patronatus etiam privetur; si Clericus, excidat beneficiis, sit inhabilis ad alia, et suspensus ab ordinibus.

In Sess. XXIII. 1. Episcopus aut Prælati superior nunquam absit a sua diocesi, nisi ad summum tres menses continuos vel interruptos: si urgente causa abesse ultra velint, eam Papæ aut Metropolitano in scriptis offerant approbandam, excepto negotio Reipublicæ aut sui Episcopatus notorio aut repentino; tempore absentia caveat Ecclesiæ de damno: alias fructus non faciat suos, sed teneatur fabricæ aut pauperibus loci pro rata absentia erogare, etiam monitione alia non secuta. Idem valeat de Curatis inferioribus, in quorum absentia ponantur vicarii ab Episcopo approbati: discedendi autem licentiam in scriptis et gratis dandam, nisi ex gravi causa, si ultra bimestre, non obtineant. 2. Episcopus, ultra tres menses consecrationem differens, restituat fructus: qui rursus per totidem differt, ipso jure Ecclesia sit privatus. Consecratio autem in Ecclesia, ad quam est promotus, si commode fieri queat, aut in Provincia agatur. 3. Episcopus ipse Ordines conferat: morbo impeditus, alibi ordinandos non dimittat, quam examinatos et probatos. 4. Tonsura tantum detur confirmatis, fidei rudimenta item legere et scribere doctis, et probabiliter verum clericandi animum gerentibus. 5. Promovendi ad minores habeant testimonium a Parocho et Scholæ Magistro: ante ejus ordinationem omnia indagentur circa natales, ætatem, mores etc. 6. Tonsura et minoribus etiam initiatus, beneficium non obtineat ante 14<sup>um</sup> ætatis annum: Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium habeat, aut Clericalem habitum et tonsuram gestet; inserviat alicui Ecclesiæ, aut in Cle-

ricorum seminario vel Academia versetur. 7. Episcopus de ordinandorum qualitatibus dispiciat, adseit viris peritis. 8. Quilibet ordinandus ab Episcopo proprio, vel de hujus licentia et testimoniis ab alio: ordinatio publice ac præsentī Clero fiat in Cathedrali; aut si alibi, in digniori Ecclesia. 9. Episcopus nequeat ordinare ut familiarem, nisi triennio secum commoratum: tunc autem statim conferat ei beneficium. 10. Abbates non conferant tonsuram aut minores sive seculari sive regulari sibi non subdito: Capitula dimissorias non concedant, etiam vacante sede. 11. Etiam minoribus ordinandi servent interstitia: exerceant ordinis suscepti officium; vitæ merito, doctrinæ, incremento ostendant se dignos ascensu: a postremo minorum ad primum majorum intercedat annus. 12. Non ordinetur ante annum ætatis 22<sup>um</sup> Subdiaconus, 23<sup>um</sup> Diaconus, 25<sup>um</sup> Presbyter: idem valet pro Regularibus, qui sine examine Episcopi non ordinentur. 13. Subdiaconi et Diaconi ordinandi sint probati in minoribus, instructi litteris et scientia ad sum ministerium pertinente, et continentes: ordinati festis solemnibus et Dominicis communicent, per annum interstitia servent. Duo sacri ordines eodem die conferantur nulli. 14. Ascensuri ad Presbyteratum sint imbuti litteris ad docendum populum omnia ad salutem necessaria, et ad Sacramenta administranda: bono sint exemplo: festis saltem solemnibus et Dominicis celebrent, et quoties munus postularit, si curati sint. Cum promotis per saltum Episcopus dispensare possit, si non ministraverint. 15. Ut Presbyteri absolvendi potestate per ordinationem accepta uti et secularium confessiones audire possint, omnes qui Parochiale beneficium non habent, etiam Regulares, debent ab Episcopo approbari seu judicari idonei, prævio examine, nisi aliunde constet: Approbatio detur gratis. 16. Ordinandi inscribantur certæ Ecclesiæ, nec vagentur incertis sedibus: qui Episcopo non consulto deseruit locum, ei sacrorum exercitio interdicitur: Peregrinus sine Episcopi sui commendatitiis non sinatur celebrare vel administrare Sacramenta. 17. Functiones minorum ordinum restituantur, assignato fructu ex beneficiis simplicibus aut fabrica: deficientibus minoristis cœlibatam colentibus, sufficiantur conjugati sed monogami, tonsurati et clericaliter induti in Ecclesia. 18. In cathedralibus pro ratione facultatum erigantur seminaria Clericorum, in quæ pauperes præsertim admittendi et ad sacra ministeria præparandi juxta formam hic prescriptam: erigantur item scholæ communibus Ecclesiasticorum sumptibus.

In Sess. XXIV. 1. Indictis post Episcopi mortem precibus publicis, electores statuto tempore, sub mortali culpa, promoveant digniorem, legitime natum, vita, ætate, doctrina, reliquisque juxta canones requisitis instructum: solemne de his instrumentum factum, cum electionis forma et electi professione fidei, quamprimum mittatur ad Papam; quod a quatuor Cardinalibus examinatum, ab eorum uno referatur in Consistorio, ubi judicium feratur. Similis fere forma servetur in electione Cardinalium, qui ex omnibus, quantum fieri potest, Christianis nationibus sumantur lectissimi. 2. Quolibet triennio habeantur Synodi Provinciales: ad eas conveniant, qui interesse debent: Exempti Episcopi ad Synodum vicini cujusdam Metropolitani accedant. Singulis annis celebrentur Diocesanæ. 3. Episcopi, sive per se sive per alium, quotannis vel saltem intra biennium visitent totam diocesin: Metropolitani dioceses comprovinciales, non nisi causa cognita et approbata in

Conc. Provinciali: Visitatores nec inutiles nec indebitos sumptus faciant: Patroni nec administrationi Sacramentorum, nec visitationi proventuum se immisceant, nisi aliunde id eis competat. 4. Episcopi in Ecclesia Cathedrali, Parochi in suis prædicent per se, vel impediti per alios; postremi quidem omnibus Dominicis et festis solemnibus. Moneantur Parochiani, se ad verbum Dei audiendum, si commode id fieri queat, interesse Parochiæ suæ debere; nullus omnino, Episcopo contradicente, prædicare præsumat. Pueri Dominicis saltem et festis doceantur fidei rudimenta. 5. Causæ criminales Episcopi graviore a solo Papa cognoscantur et terminentur: ubi extra curiam sunt committendæ, solis Metropolitanis aut Episcopis committantur propria Pontificis manu ad solam facti cognitionem, definitiva sententia Papæ reservata: minores causæ tractentur in Conc. Provinciali. 6. Dispensare possint Episcopi in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, et reliquis ad forum contentiosum non deductis: possint etiam, per se aut alium specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere sibi subditos a casibus occultis sedi Apostolicæ reservatis: item a crimine hæresis. 7. Etiam lingua vernacula explicetur populo vis et doctrina Sacramentorum: singulis festis proponantur salutis monita, omissis quæstionibus inutilibus. 8. Publice peccantibus injungatur poenitentia publica, nisi aliter videatur Episcopo; Pœnitentiarius in Cathedrali collocandus, sit Theologiæ aut Canonum Doctor vel Licentiatus, annorum quadraginta, vel qui alias pro loci qualitate aptior. 9. Ecclesia secularis, quæ est diocesis nullius, visitetur ab Episcopo proximior. 10. A subditis per appellationem nequit suspendi executio eorum quæ in visitatione circa morum emendationem sunt decreta. 11. Honorarii tituli, quibusdam concessi, nihil derogent juri Episcoporum. 12. Promovendus ad dignitatem curatam habeat ætatem saltem 25 annorum; in munere clericali sit versatus, doctrina et moribus conspicuus: ad Archidiaconatum, sit Doctor vel Licentiatus in Theologia aut Jure Canonico: ad dignitates vel personatus non curatos, sit saltem 22 annorum. Professionem fidei faciat coram Episcopo vel ejus Vicario; de Canonatu vel dignitate idem præstet in Capitulo: alias prædicti omnes fructus non faciant suos, nec eis suffragetur possessio. Canonici sint Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi; Presbyteri dimidiam saltem partem faciant: sique commode fieri possit, Canonatum pars media conferatur Doctoribus vel Licentiatis ejusmodi. Canonici non absint ultra tres menses, alias primo anno dimidia fructuum parte, secundo omnibus fructibus privandi. Obeant omnes per se officia: abstineant ab illicitis venationibus, aucupis, choreis, tabernis, lusibus. 13. Ecclesiis Cathedralibus tenuibus, et Parochialibus egenis succurratur; beneficia tenuia non graventur: omnes pertineant ad Parochiam, cujus Rectorem agnoscant ut suum Pastorem. 14. In provisione vel admissione ad possessionem beneficii, non detrahantur fructus convertendi in usus non pios. 15. Tenuitati Ecclesiarum et beneficiorum subveniatur vel unitione plurium simplicium, vel suppressione aliquorum, de Patronorum tamen consensu. 16. Sede vacante Capitulum constituat œconomum, curam rerum habiturum; item infra octo dies a morte Episcopi, Vicarium qui Doctor sit vel Licentiatus, aut alias idoneus: uterque Episcopo electo rationem reddat. 17. Uni non conferantur beneficia duo, etiam personalem residentiam non requirentia, nisi unum non sufficiat:

habens duas Parochiales vel unam cum Cathedrali Ecclesiam, retenta una dimittat alteram intra sex menses; alias utraque vacare censeatur. 18. Vacanti Parochiæ Episcopus statim det Vicarium: concursu dein publicato, ipse vel Vicarius cum tribus Magistris aut Licentiatis, vel aliis Clericis aut Regularibus, gratis examinet concurrentes: peracto examine, ex his qui idonei reperti sunt, eligat quem judicavit digniorem, illique Ecclesiam conferat. Ubi Ecclesia est juris patronatus Ecclesiastici, si institutio pertinet ad Episcopum, a Patrono præsentetur is, quem ex approbatis per examinatores digniorem ille judicaverit; si institutio ad Episcopum non spectet, hic solus digniorem eligat, quem Patronus præsentet ei, cujus est instituere: ubi Ecclesia est juris patronatus Laici, præsentatus examinetur a deputatis, nec nisi idoneus instituat. 19. Gratiis expectativis, hactenus concessis, uti fas sit nulli: reservationes mentales vel gratiæ ad vacatura, aut indulta ad alienas Ecclesias, nulli dentur; datæ abrogatæ censeantur. 20. Causæ omnes fori Ecclesiastici coram Ordinario loci in prima instantia cognoscantur: intra biennium a die motæ litis saltem terminentur: lite ulterius protracta, partibus liceat adire judicem superiorem, qui causam statu quo fuerat assumptam quamprimum terminet: ante facta commissio, avocatio, vel appellatio non teneat, nisi hæc sit interposita a definitiva aut definitivæ vim habente, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat: excipe causas juxta Canones coram sede Apostolica specialiter tractandas, vel ex urgenti et rationabili causa per speciale scriptum propria manu subscriptum a Pontifice commissas aut avocatas. Causæ matrimoniales et criminales Episcopi, non inferioris judicis relinquuntur jurisdictioni, nec a Nuntiis Apostolicis impediuntur aut turbentur; qui non procedant etiam contra Clericos, nisi Episcopo prius requisito et negligente; alioquin eorum processus sint irriti: Appellans ab Episcopo acta primæ instantiæ suis impensis deferat ad judicem appellationis, admonito prius eodem Episcopo: Actorum copiam intra mensem Notarius extradat appellanti; alias una cum judice a quo, si is tergiversationis fuerit particeps, puniendus.

In Sess. XXV. 1. Episcopi omnibus sint bono exemplo: humano carnis affectu deposito, ne dent consanguineos aut familiares suos ex redditibus Ecclesiasticis: idem servetur pro sua conditione a quibuscumque beneficiatis, etiam Cardinalibus. 2. Professionem fidei emittant Episcopi in prima Synodo Provinciali; item beneficiati ibidem, et docentes in universitate, etiam singulis annis. 3. Censuræ non facile ferantur, præsertim si alias haberi queat executio realis aut personalis: dum feruntur, bina monitio præcesserit: Magistratui seculari sit nefas hac in re judici Ecclesiastico intercedere: censuris innexus, si per annum insorduerit, ut suspectus de hæresi tractetur. 4. Episcopi, Abbates et Generales Ordinum possint pro sua conscientia statuere circa nimum Missarum celebrandarum numerum. 5. Onera beneficiis bene constitutis annexa diligenter præsentur. 6. Episcopo Capitula exempta in criminalibus ex incontinentia aut aliter visitanti, adjungantur duo a Capitulo deputati; qui ambo si discordent ab Episcopo, addatur tertius et præscripta judicii forma servetur. 7. Accessus aut regressus ad beneficia non toleretur: Coadjutor cum jure successionis Praelato non detur, nisi causa prius a Pontifice cognita. 8. Beneficiati sint hospitales; Hospitalia regantur, ut fert fundatio et patiuntur proventus: ad hæc advigilet Episcopus, contra fundationem

nihil agat, eam observari curet, adhibitis etiam pœnis. 9. Jus patronatus quomodo et cui sit probandum. 10. Præter locorum Ordinarios deputentur alii quidam idonei tanquam iudices, quibus causæ Ecclesiasticæ delegentur, ac breviter terminentur. 11. Ecclesiarum bona, item jura non elocentur. 12. Decimæ solvantur: solvi impediētes excommunicentur: subveniatur Rectoribus tenuium Ecclesiarum. 13. Quarta funeralium solvatur Ecclesiæ Cathedrali aut Parochiali, ubi olim moris fuit. 14. Concubinarii præscriptis modo et pœna puniantur. 15. Filius Clerici non habeat beneficium in Ecclesia, in qua pater aliquod habet vel habuit. 16. Beneficium curatum non convertatur in simplex: Vicarius cum cura datus habeat portionem congruam. 17. Episcopi secundum statum suum vivant ut Patres et Pastores, nec indecore se demittant coram secularibus. 18. Canones serventur ab omnibus: si quando in iis dispensandum, id fiat valide, mature et gratis; alias dispensatio sit subreptitia. 19. Duellantes, eorum patrini, illisque locum concedentes, sint excommunicati; item suadentes et spectatores: in ipso conflictu mortuus perpetuo careat sepultura Ecclesiastica. 20. Principes seculares custodiant ipsi et violari prohibeant Ecclesiasticarum personarum immunitatem, Dei ordinatione et sanctionibus Ecclesiasticis constitutam. 21. Omnia de reformatione decreta sic sint facta, ut sit et intelligatur esse salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ.

*De Regularibus et Monialibus.* 1. Regulares vivant secundum regulam, servant exactam disciplinam. 2. Iidem nulla re tanquam propria utantur: acquisita statim tradantur superiori et incorporentur conventui: proprietarius, præter pœnas ab ordine statutas, per biennium privatus sit voce activa et passiva. 3. Monasteria quævis, præter Minorum de observantia et Capuccinorum, possidere possint bona immobilia: in ea non recipiantur plures quam honeste sustentari ex redditibus vel eleemosynis consuetis queant: monasteria non erigantur deinceps sine licentia Ordinarii. 4. Regularis, prætextu pii operis, alterius servitio se non addicat absque licentia sui superioris: nec a monasterio recedat, prætextu accedendi ad superiorem, nisi ab eo missus vel vocatus: qui sine ejusmodi mandato, in scriptis obtento, reperitur, ab Episcopo puniatur tanquam desertor; huic etiam Regularis studens in universitate subiaceat, nisi habitet in Conventu. 5. Episcopus curet servari clausuram, monialibus nec ad breve tempus sine causa ab illo approbata egredi permissis: sine ejusdem aut superioris licentia scripto expressa, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ingredi intra septa liceat nemini. 6. Superiores Regularium virorum ac feminarum eligantur suffragiis secretis, nunquam publicandis: absentium vota non suppleantur. 7. Abbatissa et Præposita quælibet eligenda, annos ætatis numeret 40, Professionis bene obitæ 8; alioqui eligatur ex monasterio alio ejusdem Ordinis: si ex hoc oriatur incommodum, eligenda quæ 30 ætatis et 5 Professionis annos saltem habeat: nulla tamen præficiatur duobus monasteriis. Episcopus vel Præses alius ante cancellorum fenestellam, non autem monasterij claustra ingressus, suffragia excipiat, servatis cæteris constitutionibus Ordinis et monasterij. 8. Monasteria immediate Sedi Apostolicæ subdita, congregationem ex una vel pluribus provinciis faciant, quæ singulis trienniis convocentur: si deputati inde non visitent, Episcopus ut Sedis Apostolicæ Legatus id præstet. 9. Monialium monasteria, immediate subjecta Sedi Apos-

tolicæ, gubernentur ab Episcopis. 10. Sanctimonialis confiteantur et communicent singulis mensibus: bis vel ter in anno accipiant Confessarium extraordinarium: Eucharistiam tantum in publica Ecclesia asservent. 11. Regulares quoad curam animarum in seculares exercendam et Sacramentorum administrationem subsint visitationi et correctioni Episcopali. Excipe curam in eos, qui sunt de familia monasterij, exercendam; item loca, in quibus Abbates aut Generales vel capita Ordinum sedem principalem habent, aut Regulares jurisdictionem Episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos exercent. 12. Censuræ Episcopales et festa Diocesana etiam a Regularibus serventur. 13. Controversias de proedria componat illico Episcopus: etiam exempti compareant in supplicationibus publicis; iis tamen exceptis qui in strictiori clausura semper vivunt. 14. Regularis extra monasterium dans scandalum puniatur a suo Superiore; alias puniendus ab Episcopo. 15. Professio non fiat ante ætatis annum 16<sup>um</sup> completum, et annum a suscepto habitu in probatione absolutum: antea facta Professio sit nulla. 16. Jurata etiam et in favorem causæ piæ renuntiatio ante duos ultimos Novitatus menses facta est nulla: Professione non secuta, est inefficax. Novitii finita Probatione admittantur, aut ejiciantur: per quæ tamen nihil derogatur pio instituto Clericorum Societatis Jesu. 17. Virgines habitum Religiosum non assumant ante annum ætatis 12<sup>um</sup>: Professionem non emittant, nisi peracta prius ab Episcopo voluntatis exploratione. 18. Sint excommunicati, qui feminam vel cogunt ad ingressum in monasterium, vel injuste impediunt ab ingressu. 19. Post quinquennium a Professione emissa, non amplius audiantur volens agere de nullitate Professionis; ad laxiorem Religionem nullus transferatur: qui ante obtentam licentiam dimittit habitum, puniatur ut Apostata. 20. Superiores subjecta sibi monasteria visitent. 21. Monasteria, quæ vitæ religiosæ disciplinam amiserunt, reformentur: iis non nisi regulares et ejusdem Ordinis præficiantur: Monasteria principalia in commendam obtinentes, post semestre vel Ordinem eundem profiteantur, vel commendis cedant. 22. Hæc decreta accurate et statim observentur.

Receptum est hoc Concilium tanquam œcumenicum a Provinciis Catholicis omnibus, etiam Galliæ; uti ex Synodis Provincialibus Rhemensi, Rothomagensi, Burdegalensi, Turonensi, Bituricensi, Aquensi et Tolosana, seculo 16. jam inclinante celebratis, et ex Comitibus Cleri Gallicani generalibus A. 1615. collectis manifeste liquet. Edicto præterea Regio A. 1579. promulgato vim legis publicæ Regni accepit idem quoad dogmata fidei: fatemur tamen eadem auctoritate necdum esse munitum quoad Reformationis decreta, quibusdam scilicet Politicis contendentibus, ea universim non convenire cum privilegiis aut moribus Galliæ. Discrepantiæ hujus capita designantur hodie ex eorum decretis duarum Sessionum ultimarum, quibus: 1. Magistratui Ecclesiastico datur potestas utendi reali et personali executione contra seculares et ferendi in eos censuras; 2. Dicitur anathema in concedentes locum duellantibus; 3. Disponitur de Patronatu laico; 4. Mendicantibus relinquitur jus possidendi immobilia; 5. Pontifici statuitur facultas evocandi lites coram Ordinario pendentes, et causas Episcoporum criminales terminandi; 6. Idem videtur anteponi Concilij generalibus, Synodo sub finem declarante omnia esse decreta, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, eaque ejus judicio subjiciente. Præterquam vero, quod hanc collisionem et pugnam diserte inficiati sint